



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

11. Ab impossibilitate auxilij sufficientis præfinitiones de sese efficaces
eliminantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

solum Dei miserentis, sed hominū volentis, atque currentis est auxilium gratiæ acquirere. Contra Paulum ad Roman. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.* Ex quo ita opportune ad rem præsentem Augustinus lib. 1. ad Simplician. q. 2. Nam. si propterea non volentis, neque currentis, &c. quia voluntas hominū non sufficit, ut iussu, recteque vivamus, nisi adiuvemur, misericordia Dei potest, & hoc modo dici: non miserentis est Dei; sed volentis est hominū: quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensu nostra voluntatis addatur. Non igitur ob essentialē subordinationem mutuam Dei, & nostri in nostro actu operando; sed quia solius Dei, se solo, independentē omnino à nostrā voluntatis dispositione est velle præfinitionem, ut isti aiunt) misericorditer congruum auxilium conferre dictum esse concludit eo discursu Augustinus. Cui & Paulo adversatur solutio hæc de dispositione nostra libera per actum præfinitum ad sui præfinitionem. Quinto, adversatur Augustino eidem 1. de grat. & lib. arbit. c. 16. statuenti. *Certum est nos velle cum volumus, sed facit, ut velimus, de quo dictum est: preparavit voluntas à domino; & antecedenti statim c. 17. ut ergo velimus, sine nobis operatur.* Non vique sine nobis cooperantibus actiue ipsam velle, sed ad misericordem Dei voluntatem auxiliantem, & præparantem nostram ad illud velle voluntatem.

II. Sexto adversatur Araucano 2. can. 4. dicenti. *Si quis, ut à peccato purgemur voluntatem nostram Deum expellere contendit: non etiam ut purgari velimus per spiritum sancti infusorem, & operationem in nobis fieri confiteatur, resistit spiritui sancto.* Septimo adversatur Augustino 1. ad Simplician. q. 2. circa med. aienti: *Quod non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem.* Propterea vocanti Deo ritè tribuitur, quod bene volumus; nobis vero tribui non potest, quod vocamur. Tribuitur autem, quod vocemur, & præcedet voluntas vocationem, iuxta hanc solutionem: verum item erit, quemlibet vocari ad fidem: quia credit, & non, ut credit. Contra Augustin. de prædestin. sanctior. cap. vlt. scribentem. *Non, quia credidimus, sed, ut credamus vocamur.* Et contra Araucanum nuper citatum id definiens ex ponderatione Augustini ad locum illum Pauli Corinth. 7. *Misericordiam consecutus sum, ut sim fidelis.* Et ad id: *elegit nos in ipso, ut offermus sancti.* Vnde cum Augustino inferunt Theologi omnes: ergo non quia futuri eramus sancti. Quia ut finis, & quia quod absolutam existentiam motui, quam finis, ut moueat, finaliter, necessario excludit sibi contradicunt, iuxta hanc vero solutionem: quia credimus eligimur, & vocamur ad fidem. Denique iuxta hanc solutionem verum, & infallibile, ac certissimum esset nunquam cum præfinitione, & inde necessario proveniente vocatione efficaci posse coniungi dissentium, aut omissionem consensu præfiniti: cum hic necessario, & essentialiter, non solum sequi illas debeat, sed, & natura, & causalitate antecedere. Cum autem, ut dissentiri, resistereque Deo, cui assentimur, vocanti absolute possimus, opus sit posse nos absolute coniungere omissionem consensu, & dissentium cum misericordii Dei vocantis voluntate, & vocatione, ut ostendimus supra q. 3. fieri manifestè; minime nos posse dissentiri Deo per hanc præfinitionem, per adversarios, misericorditer vocanti, neque illam abicere contra Tridentini loca ea q. à nobis ponderata, si consensu absolutus dispositiue positus à voluntate præfinitionem sui, & subinde Dei vocationem ipsi necessario, & infallibiliter annexam præcedat: neque item posse illis resistere contra Senonensis Concilij, & Innocentij X. & Alexandri VII. datas q. cadent definitiones.

11. Iam instantis, ex nostris, quibus eam solutionis huius doctrinam adversarij imponunt obviandum est. Aiunt enim prioritatem mutuam similem inter habitum, & actum charitatis à nostris admitti: ut scilicet hic in genere causæ materialis dispositiue habitum causet, à quo tamen efficienter causetur. Cæterum doctrina hæc nostrorum doctorum non est, ut erudite ostendit Ripalda t. 2. de ente supernatur. d. 124. & Vazq. quidem 1. p. d. 111. solus nostrorum (quasi pro reliquis cautionem præstitit) omnium nomine allegatus, non docuit actum habitum secundum se sumptum, & uti à Deo

infuso esse priorem, sed eius vniōem, siue vniōis formali receptione, quæ, ut ab habitu actiue cauetur, non requiritur: æque enim, & si non vniōem, producat actum charitatis, qui etiam ab auxilio extrinseco Dei in communi nostrorum doctrina produceretur: quare rectè ait habitum à Deo infundi ut actus, sit, non autem quia actus est, neque inter actum, & habitum, eiusque infusionem mutuam causalitatem admittit: nec principium prædeterminans ad illum: tum, quia, ut videtur, & informans solum potest ad actum charitatis, instanti præcepto, prædeterminare voluntatem, & si cum eum gratia habituali identificati, vel illam supponere tunc doceret; quorum primum negat, secundum non docet. Adversarij vero præfinitionem de se, & prædeterminationem inducta, prædeterminare ad actum præfinitum, ac secundum se esse illius necessarium principium, & requisitum ex parte actus primi aiunt in genere efficientis, atque nihilominus illius effectum in genere causæ materialis dispositiue: ac proinde haberi à Deo eius præfinitionem, & dari prædeterminationem, quia actus præfinitus est. Videant adversarij ergo, in quantis nostris Vazquez doctrina ab hac sua discordet: Sed tamen, ut dixi, doctrinæ huic nostris Vazquez his adhuc subtilitatibus Philosophicis, ac Metaphysicis explicata, vix vnus, aut alter, adhuc ex eius discipulis, rectè adhæsit; quia planius plerumque nostris venantur vnitatem, & extraordinaria providentia, & potentia absolute Dei (quæ in hoc modo intercederet) quam minus possunt suis doctrinis componendis vniunt. Ne tamen adversariorum (cum quibus de maioribus, scilicet de fidei dogmatibus, res nobis est) nonnulli, quibus difficultas, & exotica ingredi amor, & ingenium luctat, ita explicatam nostris Vazquez doctrinam, ut nostris occurrat argumentis arripiant, advertant primo: in præfinitionibus suis, quæ à solo Deo concipiendæ sunt, non autem voluntatibus nostris vniendæ præfate doctrinæ nullum esse locum. Secundo: physicam prædeterminationem, seu qualiter prædeterminantem non prædeterminare voluntatem, nisi, quatenus vniōem ipsam informativam neque esse medium aptum ad infallibilitatem scientiæ diuinæ in ipsa de futuro contingenti. Tercio: in eorum doctrina statā vniōem habitus, & cuiusvis qualitatis actus voluntati opus esse, ut eam in acta primo complet ad actum. Inde enim Thomistæ omnes negant posse habitus supernaturales suppleri à Deo per auxilium extrinsecum. Quarto: apud ipsos eadem actione educi formam, & vniū lubiecto. Cum quibus omnibus, & linguis nequit doctrinæ præfate vltius consistere.

CERTAMEN II.

Ab impossibilitate auxilij sufficientis præfinitiones de sese efficaces eliminantur.

I. Hic impossibilitati sufficientis auxilij demeritrandæ illius, proptè ab efficaci auxilio distincti nobis cum adversariis, & Theologis cunctis communis definitio statuenda est. Nempe illud esse auxilium sufficienti, [quo cum voluntas operari absolute potest, & faciens, quo cum voluntas operari absolute potest, & non operatur de facto.] Et quamquam posse absolute nos aliqua operari dicamur etiam, cum nonnulla ex requisitis ex parte actus primi proximi ad ea operanda non habemus, ut cum quis nondum habet effectum ambulandi voluntatem requisitam ad ambulandum, posse absolute nihilominus ambulare rectè dicatur: opus tamen est, ut requisita illa ex parte actus primi proximi in illius, potestate sint, ut in eo casu voluntas efficaciter ambulandi, si autem in eis potestatem requisitam illud non sit, non dicimus ipsam remotionem potentiam habere ad effectum absolute potens. Patet in carento, & compedito carente per iudicis decretum: qui, licet potentiam habere deambulandi, possitque à se voluntatem habere deambulandi,

ime & ex parte sua illam habeat; quia tamen sublatio impeditenti compedium, & carere requiritur ad proximè expeditam, & absolutam, potentiam ambulandi, & gressum, absolute potens ambulare non dicitur: & si, cur non ambulet? rogetur, respondebit statim rectè: quia compeditur, & catenatus ambulare non possum. Et sanè non eo modo cum qui auxilium solummodo sufficiens habet, non autem sui actus prædeterminatiam, ac prædeterminantem prædeterminationem necessariam ex parte actus primi proximi ad illum operandum potentiam absolute habere, quatenus in sua potestate est cuiusmodi prædeterminationem acquirere, & apponere constans apud aduersarios est: ut videtur in Aluarez de auxiliis passim, & fusc, d. 109. & Cabrera d. 6. de auxiliis, dub. 3. num. 109. et nostris argumentis pressis variis modis, eius acquisitionem & appositionem in nostra potestate esse, vel præuia dispositione, vel per actum ipsum, satis, & ipsi in sua doctrina varij, defendere tentauerunt, ut proximis duobus certaminibus retulimus, & valde impugnauimus. Quare præfens cum aduersariis disputatio solum erit de auxilio sufficienti, quo absolute in actu primo proximo possit voluntas operari, quin aliquid aliud requiritur, ut proximè absolute possit in actum prodire, & operari expectandum sit: an in non operante, cuius præfinitio prædeterminatiua non adest inueniatur? Si qui enim ad potestatem de facto non operantis ad obediendam à Deo eiusmodi prædeterminationem, hinc præuia aliqua dispositione siue, actu ipso præfinitio recurrit, datis impugnationibus citatis certaminibus constandi facile erunt. Quanti vero faciendum hoc argumentum nostrum sit, si intentum euincat, ut Catholici omnes Doctores præfinitiones hæc execrerent is solum nesciat, qui ignoret his omnibus, qui præcepta non seruauit, quorumque obsecratio præfinita à Deo iuxta omnium aduersariorum sententiam non est, auxilium sufficiens, & misericordem Dei voluntatem, quibus absolute non transgredi præcepta possint, quæ de facto transgrediuntur, adesse fidei dogma esse ignoret definitum in Arauscano can. 25. Tridentino sess. 6. can. 5. & 13. & ab Innocent. X. & Alexand. VII. in suis decretis contra quique Cornelij Iansenij propositiones ibi damnatis, vti ex prima damnatione à nobis recitata supra q. 3. cert. 3. & n. 3. & speciatim 5. claret, & quidem, ut obiter de Dei sufficienti adiutorio absolute possent præcepta, quæ transgrediuntur, inique eis imputaretur transgressio, & crudeliter ob illam iniungeretur illis supplicium.

2. Sic igitur arguo. Quisquis non habet omnia essentialiter, quouis modo, requisita ex parte causæ proximæ ad operandum, non potest absolute operari (ni ha omnia habere suæ potestatis sit, quod respectu præfinitionis aduersarij, cum quibus nunc pugnamus non habet omnia essentialiter requisita ex parte causæ proximæ ad operandum: ergo quisquis non operatur, non potest absolute operari. Maior videtur certa. Minor in aduersariorum doctrina euident est: quia quisquis non operatur, non habet prædeterminationem prædeterminatiuam, quod vnum per eos ex essentialiter requisitis ex parte causæ proximæ non operatur ad operandum est: ergo quisquis ex parte proximæ non habet vnum ex essentialiter requisitis causæ ad operandum. Ex ca vero conuenientia inferitur. Ergo quisquis non operatur non habet auxilium sufficientem ad operandum. Est aperta ex definitione auxilij sufficientis præmissa. Quisquis habet auxilium sufficiens ad operandum absolute operari potest: ergo quisquis non potest absolute operari, non habet auxilium sufficiens: sed quisquis non operatur non potest absolute operari: ergo quisquis non operatur non habet auxilium sufficiens: contra Conciliorum, & Pontificum memoratas definitiones. Hoc argumentum conuictus Mag. Ioan. Vincentius Dominicanus insignis Professor Salmantinus, ac sui Ordinis Vicariorum Generalis physicas suorum præmotiones, & præfinitas definitiones à sententia dimoueri se posse professus est teste Mag. Ledesmi, de auxiliis. art. 4. probat. vlt. conclus. 2. qui art. 2. ad 3. grauissimum, & difficillimum argumentum esse fatetur. Et præfinitionem prædeterminatiuam

tiuarum Primipilus Bañez 1. p. quæst. 14. art. 13. S. Ad hoc respondetur, ait, vix declarari posse, quo pacto concursus causa prima efficiat sit, & necessarius, & simul conformetur cum natura causa contingentis. Porro præfinitis consequentiis proxima illa est, quam n. 1. sine possumus. Nempe non posse alicui nostrum imputari ad culpam, quod actum præceptum non apponamus; cuiusque enim non adest auxilium sufficiens, quo absolute possit operari inimputabilis ad culpam est operis omisso: sed cuiusque non operanti opus præceptum, & non adest præfinitio prædeterminatiua operis præcepti, non adest auxilium sufficiens, quo absolute possit operari: ergo cuiusque non operanti opus præceptum non est imputabilis ad culpam præcepti operis omisso. Quod ipsum de actu positiuo, quo præceptum negatiuum transgredimur simili argumento conficitur. Vnde tandem inferitur Deum negatote præceptorum alterutro modo transgressores æternam penam, minitari: tamque eum, quam Reges, & humanas quaque potestates, non, nisi inique, crudeliter, & nefarie penas eis infligere: æque ac si victo, quod non ambulet, non habenti lucem, speciem, vel librum, quod non videat, aut legat, non existenti Romæ, sed Matriti, quod Romanam vineam non excauet, aut vindemiet in quibus posita sunt, tam, quæ, ut principia ad aliquas ex enumeratis operationes requiruntur, quam, quæ solum, ut conditiones requiruntur ad alias: ut nulum aduersariis effugium pateat, siue præfinitionem requisitam ad operationem, ut principium, siue, ut conditionem, & applicationem, requisitam solummodo esse velint.

3. Sed quoniam Aluarez tanti apud suos ponderis argumentum inane reputauit, & leue, cuius iudicio nonnulli ex suis recentioribus accedunt: quid habeant soliditatis eorum solutiones examinemus. Responder primo ille sepeque reperit lib. de auxiliis d. 18. n. 20. d. 22. num. 23. d. 23. n. 30. d. 79. per totam, Cabrera de auxiliis d. 6. dub. 3. n. 10. dub. 4. n. 6. & 7. dub. 7. n. 32. & 33. Franciscus Dauila Dominicanus de auxiliis c. 7. præfinitionem prædeterminatiuam non requiri ad absolutum posse operari, siue potentiam absolutam operandi voluntatis, quæ satis superque auxilio sufficienti constituitur, sed solum requiri ad operari. Sicut, inquit, etsi albedo necessaria sit, ut homo sit albus actu, non tamen ut possit esse albus: & licet lux necessaria sit, ut homo actu videat, non tamen, ut possit videre: quare voluntas sine prædeterminatione potest absolute operari, non autem absolute operari sine prædeterminatione potest. De hac vero solutione argumento eidem contra auxilium de se efficit Thomistarum eorumdem (de quo non agimus) à nostris efformato, hæc habet Illustriss. Mascareñas Algarbiorum Episcopus, & Generalis fidei apud Lusitanos Quæstor. d. 2. de auxiliis p. 2. n. 13. *Nuda sunt, si hæreses non sunt.* Censuris absinco: totorque ad rationes venio. Contra primo: quia præfinitio prædeterminatiua operationis nostræ neque requiritur, ut terminus per illam productus, eaque posterior, nec est pars operationis nostræ voluntatis, cum sit partialis causa operationis nostræ, vel saltem applicatio actiua virtutis causæ primæ prius se ad nostram operationem accingentis, & media prædeterminatione physica voluntatem creatam ad operationem applicantis. Vnde etsi nonnulli recentiores Thomistæ prædeterminationem suam physicam, vel identificent, vel ad idem signum operationis nostræ comitanter se habere, primæam suam sententiam deferentes, asserant, ut videbimus cert. vlt. tamen de præfinitione id nequeunt asserere: cum Dei, & nostram operationem nequeat non, in eorum, & Thomistarum omnium (qui Dei decreta libera operationibus ad extra non constituunt) sententia operationem naturæ antecedere. Verum ut ipsos huius distinctionis tam apertæ contra S. Thom. pudeat, non recondita Angelici Præceptoris, sed illa ipsa loca, quibus præuiam physicam motionem, & prædeterminationem nobis obtrudere contendunt, recitanda ipsis erunt, ergo 1. 2. quæst. 9. art. 6. ad 3. *Sine hac essentiali motione homo nequit aliquid velle.* Ipsi vero aiunt solutione hac sua, *Sine hac essentiali motione homo potest omnia velle, quæ non vult.* quæst. 109. art. 1. corp.

X x 2 Quamvis

quod superaddatur illi aliqua alia potentia tribuens ipsi posse velle, quamvis ultra voluntatem, quæ se sola potentia volitiva, seu volendi absolute est, vocatio Dei, & alia requirantur, ut actu velit: ergo se sola absque misericordia Dei voluntate, & vocatione, seu auxilio, quod vocas sufficiens, voluntas nostra constituit posse absolute velle & operari. Si enim abuti licet voce, qua visus potentia visiva nuncupatur, ut ea sola, absque aliis ad videndum requisitis, constituat in actu primo absolutum posse videre, seu ad videndum: licebit etiam abuti voce, qua voluntas potentia volitiva dicitur, ut ea sola absque requisitis misericordia Dei voluntate, & auxilio gratie sufficientis, absolutum posse ad volendum nobis constituat.

7. Contra quarto: quia, etsi præfinitio necessaria sit solum ad operari non ad posse, tamen operatio absque præfinitione per vos est impossibilis: ergo solum, ut coniuncta præfinitioni est possibilis. Pater: nam operationis, absque præfinitione contradicens terminus est operatio, non sine præfinitione: hoc autem idem prorsus est, atque operatio cum præfinitione: ergo ut detur vera, & absolute talis potentia ad operationem debet dari ad operationem coniunctam cum præfinitione, aliàs daretur vera, & realis physica potentia ad impossibile: ac neque cum auxilio, & vocatione, quam sufficientem vocas ad operandum, datur voluntati nostræ imprædeterminatæ à Deo potentia ad operationem cum præfinitione: ergo nec vera realis absoluta potentia ad operandum. Minor probatur: quia imprædeterminata voluntas à Deo dicit negationem prædeterminationis à Deo, cum qua nequit prædeterminatio à Deo coniungi, sine contradictione: quod autem dici poterat negationem prædeterminationis præfinitionis à Deo poni pro naturæ posteriori ad voluntatem instructam auxilio sufficienti, quia hoc vñ illa non fuit, non habet locum in doctrina quam impugnamus: statuit enim non dari dependentem ab usu nostræ voluntatis ex auxilio sufficienti: ac insuper, cum vñ hic operatio ipsa voluntatis sit, iam pro priori ad præfinitionem Dei operatio à voluntate absolute esset: quare non solum ad posse, sed & operari necessaria præfinitio non foret. Nec magis præstat, si dicis: illam absolutam, & simpliciter dictam potentiam operandi, seu posse absolute operari voluntatem esse posse ad operationem, neque coniunctam cum præfinitione, neque coniunctam ab illa, sed præindistentem, ac secundum se sumptam præcise ut veraque: siquidem, siue operatio in sui appositione nequit præcendere ab essentialiter requisitis; alioqui vel chimære apponeretur: ita potentia, quæ ad apponendum exercite operationem est, ad apponendam cum requisitis solummodo esse potest, ut chimærica potentia non sit: quare ad operationem, ut præindistentem esse nequit: ut autem potentia foret ad ponendam operationem cum præfinitione requisita ad ipsam oporteret, quod esset potentia ad ponendam præfinitionem, quæ nūquam in voluntate instructa vocatione sufficiente est: quandoquidem non, nisi coniunctam poni potest: nec poni coniunctam potest, nisi ab eo qui potest ponere requisitum & operationem, quia Deus, cum aliquid præcipit non præcipit posse operari, quod tu assignas, sed operari, & exequi præceptum opus: ergo quovis dat requisita necessaria ad operandum, & exequendum, quæ nostræ potestatis non sunt, est de posse illud quod vultis, non dari sufficientiam ad implenda præcepta: quare neque auxilium sufficiens, sine quo implicat sufficientiam dari.

8. Confirmatur: quia, etsi actio diversa sit ab effectu, nec spectet ad posse, quia tamen requiritur ad operandum effectum, qui non potest absolute actionem, non potest absolute effectum: ergo licet præfinitio non requiratur ad posse operari, sed ad ipsum operari, tamen, qui non potest absolute ad præfinitionem, nec potest absolute ad operationem: sed, qui non operatur, non potest ad præfinitionem iuxta doctrinam, quam modo insectamur: ergo nec potest absolute ad operationem: ac proinde neque habet absolutam potestatem, & auxilium ad operandum sufficiens. Sexto, auxilium sufficiens voluntati nostræ tribuens absolutum posse, ad operandum præstare debet, ne steter per Deum, sed per nos defectus operationis. Sed, si requiritur ad operari præfinitio divina in-

dependens in sui positione, aut remotione ab usu nostræ libertatis defectus operationis nostræ non stabit per nos, sed per Deum: ergo nec stabit auxilium sufficiens, neque absolutum posse operari nostræ voluntatis, quod illud non constituit. Minor probatur: stat per Deum omnino, neque aliquatenus per nos, defectus decreti, seu præfinitionis requisitæ essentialiter connexus cum negatione, seu defectu operationis, quæ prorsus nequit esse sine decreto: sed penes quem stat omnino ponere defectum alius rei requisitæ ad aliud, ac proinde connexus cum rei illius negatione: stat omnino ponere rei negationem: ergo penes Deum omnino sine nobis ponere negationem operationis. Minor mille obuiis exemplis monstrari facile potest: & ratione, quia quoties plura requisita necessaria sunt ad quamvis operationem, aut effectum, cuiusvis defectus est causa adequata negationis effectus, & operationis illius: quare, qui, vel minimum, requisitum remouet, etsi reliqua addeat, & in casum conetur, operationis, & effectus negationem inducat necesse est: atqui Deus se solo, nullatenus libito nostro interveniente ponit defectum decreti necessari, requisiti per vos ad operationem, & effectum voluntatis nostræ: ergo se solo ponit operationis, & effectus negationem. Hinc autem fit nullam omissionem operis præcepti humanæ voluntati esse imputabilem ad culpam, & reatum: siquidem non per nos, sed per Deum stabit, quod præcepta absque operatione. Contra illud Eccl. 15. *Ne dixeris per Deum abest.* Ratio autem est: quia non sufficit rem esse absolute possibilem, ut mihi etiam possibile sit: est siquidem res absolute possibilis, etsi à me fieri nequeat dummodo fieri ab alio illam non repugnat: aut mihi possibile, seu à me possibile non erit nisi in mea potestate continueatur: atqui, si præfinitio requisita ad operationem omnem necessaria sit, neque meæ potestatis operatio absolute erit: siquidem præfinitionem requisitam ad operationem, & sine qua est operatio, non mihi solum, sed, & absolute impossibile, ponere meæ potestatis non est: quod autem mihi impossibile est, quod apponatur, vel non apponatur, mihi ad culpam, & reatum imputabile non est: ergo nec omisso, nec operatio præcepta si ad hanc præfinitio requiratur.

9. Hoc ipsum exemplis ab aduersariis pro hac solutione adductis explicatis & euidenter demonstratur. Non enim aliter est homo potens operari sine requisita præfinitione, seu prædeterminatione divina, quam potentia visiva, sine specie, aut lumine, requisitis necessariis ad videndum, & quæ habere in sua potestate non est, est potens videre per vos: sed qui hanc potentiam habet sine specie, aut sine lumine, quæ non potest adquirere, & sibi parare, neque est absolute potens ad videndum, neque ipsi imputabile, quod non videat: ergo, qui habet voluntatem, & vocationem sine præfinitione, quam nequit parare sibi, neque adquirere, nec est potens absolute operari, ac proinde non habet auxilium sufficiens, neque, si opus præceptum sit imputabile ipsi est, quod illud non operetur. Minoris primam partem dedit nobis Augustinus recitatus supra cert. 5. n. 2. ex lib. de natura, & grat. cap. 47. & rursus illam docuerat eodem libro cap. 26. sic scribens. *Oculus corporis, etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adiutus non potest cernere.* Sed ne adhuc vocibus potentia visiva, & volitivæ abutaris, & heræas: veniamus ad secundam partem minoris, ex qua prima, apertius adhuc, ostenditur cum enim impuritas absoluta omissionis operis præcepti ad conuerentiam cum potestate absoluta illud operandi dicatur iuxta illud Eccl. 31. *qui potuit transgredi, & non est transgressus: si probemus non habenti lucem, aut speciem absolute imputabile non esse, quod non legat, aut videat: neque cum absoluta potestate ad videndum, & legendum habere, neque videre, aut legere absolute posse demonstrabimus.* Id autem sic probo: quia aliàs, qui tenebroso specu luci omnino imperio videre picturam, quæ inibi, vel si maius Romæ esset, vel horas Canonicas per librum recitare iuberetur, nec tamen videret, nec per librum recitaret, peccaret, penæque impostæ reatum, v.g. verberum incurreret. Altitmo, si tecum (quantumvis terreus Thomista sis) verberibus eo super, ex tam iniqua lege ob eas omissiones ageretur, præfinitiones Thomisticas, & superiorem, earum inexcusabili consequentia, tam inique

TEGA
A. pari
Vla

